

DISPOSITIO HOMILETICA;

In

TEXTUM FUNEBREM,

2. Chron. 35: 20, 21.

In Exequiis

Augustissimi quondam & Potentissimi,

Nunc in Cœlis Beatissimi,

Et æterna recordatione Gloriosissimi,

Regni Sueciæ subjectarumque Regionum

MONARCHÆ,

CAROLI UNDECIMI,

Svecorum, Gothorum, Vandalorumque

*Regis, Magni Ducis Finlandiæ; Ducis Scania, Æstboniæ, Li-**toniæ, Careliæ, Brema, Verda, Stetini-Pomerania, Cassu-**bia & Vandalia; Principis Rugiæ; Domini Ingria & Vis-**maria; Nec non Palatini Comitum ad Rhenum; Bavarie,**Juliaci, Clivia, & Montium Ducis, &c.*

Regis & Domini Nostri Clementissimi

Per univèrsam

Règnum Sveo-Gothicum,

24. Novemb. Anno 1697.

Celebrandis, exponendum & applicandum;



Arafc. Esa. 60: v. 3. Et ambulabunt Reges ad splen-
dorem ortus tui. De illustri Ecclesiæ in Nov. Test. Chri-
stianæ statu, hoc eximie prædixit Esajas: Cumq; So-
lennitas Exequialis per univèrsam Imperium Sveo-Go-
thicum instituat^{ur} hoc die, quo SERENISSIMUS

ac POTENTISSIMUS REX CAROLUS XI.

876 *Svecorum, Gothorum, Wandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiæ, &c. (Recitetur integer Titulus Regius) Dominus, Heros, Rex, in toto Orbe Christiano, cum viveret, Incomparabilis, jam in æternâ felicitate Beatissimus, sepulcro suo Regio infertur, fateamur ore devoto & corde venerabundo, nunquam magis per 2452. annos, à quo tempore hæc ab Esaia scripta sunt, impletam fuisse hanc Prophetiam, quam cum in his terris ambularet Augustissimus Rex CAROLUS XI. Rex ac Dominus noster per 37. annos Clementissimus.*

Designat *Propheta v. 1. Luminis Ecclesiæ concessi originem, Deum Patrem; Gloria Jehovæ orta est super te: conf. Joh. 16: v. 28. & 17: v. 5. postulat porro, ut ipsam lucem cognoscamus Messiam. Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, Joh. 1: v. 4, 5, 9. & 8. v. 12. & 9: v. 5. &c. hocce lumen ut gloriam Jehovæ celebrat, conf. Hebr. 1. v. 3 add Es. j. 49: v. 6. ipsumq; Jehovah orientem, videlicet in carne veneratur v. 2. Et super te orietur Dominus & gloria ejus super te videbitur NB. Luc. 1: v. 78. Joh. 8. v. 14. Hoc lumen exortum adferret illuminationem Judæis Luc. 2: v. 32. nec non gentilibus v. 3. Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Homines qua multitudinem copiosissimi, v. 4, 5, 6, 7, 9. ac ex omni statu & conditione lectissimi, inq; decus & gaudium Ecclesiæ hæc porro de Regibus commemorantur, v. 10. Et edificabunt filii alienigenæ muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Sic & v. 11. Deniq; v. 16. Et suges lac gentium & mamma mella Regum lactaberis. Nunc autem ex v. 3. observamus, quod Propheta (1.) splendorem ortus respicit, per ortum ipsum Messiam intelligit, solem justitiæ. Mal. 4: v. 2. de cujus ortu super Ecclesiam. v. 1, 2. egit, splendorem v. ortus, de Evangelii luce convenientissime exponimus. Illud enim, Sole Christo exorto, splendet, Joh. 3: 19. Actor. 26: v. 23. 2. Cor. 3: v. 8. II. 18. NB. 2. Cor. 4: v. 6. (2.) Ad illum splendorem ambulaturos indicat: non solum accedent ad lucem, ac ex illa gaudium consequentur fideles, Psal. 97: v. 11. Col. 1: v. 12. sed & in hujus lucis splendore, & ad illum vias illorum dirigentem ambulabunt, Psal. 119: v. 105. Joh. 12: v. 35. ut filii lucis Eph. 5: v. 8, 9. (3.) Illam ambulationem Regibus in N. Test. peculiariter adscribit; non quod ullus Christianorum ab illa felicitate & obligatione exemptus sit, Rom. 13: v. 12. 13. I. Joh. 1. v. 7. Sed quod hoc præprimis redderet Ecclesiam*

877
147
electam Nov. Test. celebrem & illustrem, cum in tot Regnis & terris
Esa. 60: v. 12. summa & Coronis Regis ornata capita tam sollicitam
de Ecclesia Christi foverent curam, & ad exortum apud se Evangelii
lumen, divinum cultum & vitam suam componerent, sicq; multipli-
cem sibi & regnis suis acquirerent prosperitatem, Esa. 58: v. 8.

In omni & proluxa tot Magnorum ab adventu aeterni Regis in car-
nem, Luc. 1: v. 32, 33. Regum serie, nemo aut celebrari aut nomina-
ri potest Imperantium, de quo sancta illa *ambulatio ad splendorem lu-
minis Evangelii*, exacte magis praedicitur, ac de *Incomparabili Rege*
CAROLO XI. Quippe (1) in Regno pure Evangelico, luce
sancta ex inmensa Dei gratia illustrato, REX HEREDITARIUS,
Verbi Divini thesaurum, sibi ac omnibus subditis suis concessum ma-
ximi fecit: Inde ante decennium (Anno 1686. die 4. Conc. 1.) ex
Apoc. 14: v. 6, 7. proponi illis voluit beneficium Reformationis, &
reddita Septentrioni lucis Evangelicae per *Angelum Evangelizantem*;
ac in Jubilaeo solennitate 1693. id ipsum ab omnibus digne aestimari ius-
sit. (2) Regia auctoritate ad Evangelii splendorem duxit REX
Clementissimus, tot Regna sua hereditaria & ditiones; per iterata
& renovata Statuta de unice juxta *Aug. Conf.* servanda in illis Re-
ligione vere Evangelica; adeoq; huic optime applicari potest Esa. 32.
v. 8. (3) Evangelii lumen & propagationem omni ratione promo-
vit Zelo constantissimo & ferventissimo amore: adeo ut, quod in plu-
rali dictum ad Ecclesiam: *sint Reges nutritii tui*, Esa. 49: v. 23. id
REX *Religiosissimus*, nec pluribus in rebus aliis gloriose gestis im-
par, in Divino hoc instituto magis praestiterit quam plures alii simul.
(4) Cultum Dei & religionis devotum exercitium, *Sacrae ejus Majestas* ad
lumen Evangelii instituendo, omnibus in terris Evangelii confesso-
ribus supereminens, cunctis quoq; regulam dedit Ecclesiis Septentri-
onalibus, Verbo Dei convenientissimam. Esa. 30. v. 21. Gal. 6: v. 16.
(5) In summo isto Regali fastigio, maximum praebuit documentum am-
bulandi *ad splendorem Evangelij*, ipse REX *Pientissimus*, Per omnem
aetatem exemplum sine pari dedit vitae & ambulationis *digne Evangelio*
Christi Phil. 1: v. 27. Cumq; (6.) per vallem tenebrosam, per mor-
tem a nobis transiret, ad splendorem lucis fideles in Christo Jesu
illuminantis. firma fide se convertit REX fiducia & patientia
Constantissimus, Psal. 13: v. 4. Luc. 2: 29, 30. Deniq; (7.) in aeternam
jam

878
jam ingressus gloriam, in lumine Divino ambulaturis felicissime associatus, nobis & toti puriori in terris Ecclesie *Desideratissimus Rex* CAROLUS XI. regnaturus eis Ἰησὺς ἀνάσσει τῶν ἀιώνων, Apoc. 21. v. 23. 24. & 22. v. 4. f.

Cumq; jam TANTI REGIS solennia funebria celebramus, ad textus meditationem piis suspiriis accedimus.

TEXTUS, 2. Chron. 31: v. 20. 21.

EXord. Psal. 112: v. 6. *In aeternum non dimovebitur: in memoria seculi erit justus*; Prospera DEum timentis fata ejusq; characteres tradit hoc Psalmo David. Et cum alterum hemistichium v. 5. redditur; *suspirabit justus verba sua in judicio*. sic optime connectitur v. 6. Nam in aeternum non movebitur: in duobus a Beati felicitatem v. 6. describit; (1.) *Stabilitas immobilis; in aeternum justus non dimovebitur*: jam prius delineavit statum justici felicitatem. v. 2, 3, 4. Illam autem perpetuum fore jam asserit; Exiguum enim foret gaudium piis, si ad breve saltem tempus fruere Deum benedictione; quae est mundanorum fluxa & caduca prosperitas, Psal. 37: v. 35, 36, 38. proinde perpetuo illam eis concessum iri promittit: Quod & in fine Psal. 15: post similem beati descriptionem additur, *non dimovebitur in aeternum*, NB. Psal. 125: v. 1. hoc quoq; a DEO sibi pollicentur fideles, Psal. 62. v. 3. 7. Verum quoniam in his terris non est speranda felicitatis alicujus constantia, promissum hoc in regno gloriae caelestis obtinet suum complementum, Psal. 60: v. 11. Esaj. 32: v. 17. 18. (2.) *Memoria non intermoritura: in memoria seculi erit justus*, Peculiaris haec est justorum prerogativa, quod etiam fuit in his terris vitae eorum curriculo, superstes maneat nominis illorum celebritas. Inde Syracides per septem capita maximorum in Vet. Test. virorum elogia contexit cap. 44. usq; ad 50. ita & integro cap. 11. ad Hebraeos, extolluntur, qui insigni fide praediti erant. Merita Josaphati erant in animis civium post mortem ejus efficacia & ponderosa, 2. Chron. 22: v. 9. adeo ut cum pereat memoria impiorum Psal. 9: v. 7. & 109: v. 15. semper tamen sit *memoria justici in benedictione*, Prov. 10: v. 7. Est enim magnum virtutis praemium, quod cum benedictione nominentur, ut eleganter de Josia dicitur, Syr. 49: v. 1. etiam cum benedictorum encomio, in aeternam vitam pii sunt introducendi, Matth. 25: v. 34. Quod de justo quolibet ait Psaltes, *non dimovebitur: non peribit memoria ejus*; ad REGES, religione vera, animo caelesti, dotibus divi-

divinis, actionibus Heroicis & successibus maximis.
ævo summo jure relatum est. proinde ad illorum nomina & cum
Majestatis eorum mentio facta fuerit, cum veneratione addi assue-
vit *felicis recordationis*, vel *gloriose memoriæ*, vel *laudatissima recor-*
dationis, vel simile encomium. Neq; alia est Dei in his voluntas,
Patriarcharum, qui ut *Dei principes*, Gen. 23. v. 6. & *uncti Domini* habe-
bantur, Psal. 105. v. 15. erant chara DEO nomina, Exod. 3. v. 6: Matth.
22. v. 32. Moyses, qui *in dignitate Regia* erat, Deut. 33. v. 5. non sine
honore a DEO nominatur, Jos. 1. v. 2, 5. David DEO dilectus mul-
tis in locis laudatur. 1. Reg. 11. v. 34. & 14. v. 8. &c. &c. Sic pla-
cuit Spiritui S. Regis Ezekia vitam & res gestas in pluribus scri-
ptis sacris, quam ullius alterius Regis consignare, videl. 2. Reg. cap.
18, & 19, & 20. Chron. cap. 29; & 30. & 31. & 32. Esaj. cap. 36,
& 37, & 38, & 39. *Narrationi vero de actibus ejus in Dei gloriam & cul-*
tus sacri instaurationem susceptis, intersit elogium, quod Textus
noſter continet.

Quæ memoriam Regis Ezekia vel ullius Regis reddidit cele-
brem, ea cuncta in *Augustissimo Monarcha CAROLO XI.*
collaudari merentur. Pauca ex iis indicavimus in Disposit. ad Tex-
tus in publico lectu d. 20. Aug. exponendos 1. Macc. 9. v. 20, 21. &
Thren. 5. v. 15, 16, 17. Quis enim singula enumerare, vel Tantarum Vir-
tutum rerumq; gestarum ullam digne describere valet? *Regem no-*
ſtrum Clementissimum Felicissimumq;, jam in Cœlis *Beatissimum*,
tunc in multis cum JOSIA contulimus. Cujus magna laus est, 2.
Reg. 23. v. 25. Nunc Textus simul & maxima *magni Regis* merita
postulant, ut quod de Ezekia inter Reges Judæ dicitur: *In Domino*
DEO Israël confisus est; ita ut post eum non fuerit par illi inter omnes
Reges Juda, neq; qui fuerunt ante ipsum, 2. Reg. 18. v. 5. Id quoq; de
CAROLO XI. inter omnes Reges Christianos asseramus. De ju-
sto affirmat Psalter: *In æternum non dimovebitur*: suo exemplo fir-
mavit id ipsum *Rex Constantissimus*: à pietatis & virtutis tramite
se nunquam passus est abducere, sed per omnem vitam suam de se
dici voluit: *Eò quod Rex confisus est in Jehovam, ideo per misericordiam*
altissimi non dimovebitur. Psal. 21. v. 8. Jam à turbulentis hujus mundi
fluctibus ad βασιλείαν ἀσάλευτον translatus, Hebr. 12. v. 27, 28. nun-
quam in æternum dimovebitur Apoc. 3. v. 12. In dictis istis historicis
singuli istorum Regum Judaicorum suis ornantur elogiis. Nam ante

in regni Iudaicis à tegno Judæ, nemo fuit inter Re-
a illis comparandus. Omnes superavit Ezekias, etiam post
se venturum JOSIAM, eximia in DEUM fiducia, ut est 2. Reg. 18: v.
880. 5. monstravit illam oratione contra hostes, 2. Reg. 19: v. 5. seqq. & in
periculo mortis constitutus, 2. Reg. 20: v. 3. neq; ullus tam mature ab
initio regni sui cultum DEI emendavit: nam JOSIAS demum anno
octavo imperii sui sacrum hoc opus aggressus est, 2. Chron. 34: v. 3.
Rursus in nonnullis aliis JOSIAS non habuit parem, videl. in templi
restauracione, 2. Reg. 22: v. 5. in federis cum DEO renovacione, 2. Reg.
23: v. 1, 2, 3. in idololatriæ extirpacione, ibid. v. 13, 15, 19. in Paschatos
magnifica celebratione, ibid. v. 21, 22. Ita hi Reges Judæ in quibusdam
se invicem in isto regno superarunt, in multis autem omnes alios.
Rex noster *Desideratissimus* CAROLUS XI. cum utroq; opti-
morum Regum conferendus, in nullo virtutis genere ulli illorum ces-
sit, & quæ in celebratissimorum Regum Christianorum laudes conge-
sta sunt, sua omnimodè fecit. Cumq; in toleuni humationis Regiæ
die, Tantum terræ gremio concrederetur depositum, allaboremus ut
supra terram memoria ejus in seculum maneat. Adeoq; ex summis his
Ezekie & CAROLI XI. exemplis discamus in quo consistat.

GLORIOSISSIMA OPTIMORUM REGUM MEMORIA.

Votum Psal. 102: v. 13, 14.

Salomonis dictum est: *Non est memoria sapientis in æternum.*
Eccl. 2: v. 16. Quod quidem de hominibus, etiam sapientibus in com-
muni obtinet; Verum de *Optimis in Ecclesia DEI Regibus* provida DEI
cura aliter præcavit, quod jam dictis & exemplis comprobavimus:
Nam ut nulli nisi DEO subsunt; ita cum omnia ad ejus gloriam &
subditorum salutem dirigunt, eo ipso, quo facta sua solius DEI oculis
imprimunt, nomen sue memoriæ in æternitate figunt, ut ait Gregor.
Mag. Reddunt enim *memoriam* suam ut *perpetuam* ita etiam *Glo-
riofissimam*,

I. *Facta sua secundum verbum DEI instituendo.* De Eze-
kia agens sacer Historicus designat (a) *Actiõnum ejus normam,*
DEI Verbum: Sic in Textu v. 20. *comm Jehovah,* v. 21. *Et in lege Et*
in præcepto, in hoc eodem cap. 31: alios quoq; ad illam regulam ad-
strinxit. v. 3. *juxta quod scriptum est in lege Jehove,* v. 4. *ut assidui*
essent in lege Jehove. Præterea in historia ejus dicitur, 2. Chron. 29: v.
2. *fecit*

2. *Fecit rectum in oculis Jehovæ: ibid v. 25. de eo quod perfecit Rex dicitur. Nam ex imperio Jehovæ factum est præceptum per manum Prophetarum ejus: Conf. 2. Chron. 30: v. 5. ibid. v. 12. per verbum Jehovæ, v. 16. juxta jus suum, juxta legem Moſis. Exprefſius 2. Reg 18: v. 6. Et adhaſit Domino, non declinavit ab eo: cuſtodivitque præcepta ejus que præcepit Dominus Moſi: inde humilis coram DEO conſteſtatio Ezekia, 2. Reg. 20: v. 3. Novit quippe Rex pius, quod ut in univerſum cuiſbet homini injunctum eſt, juxta legem DEI actiones ſuas dirigere, Deut. 5: v. 32, 33. &c. Ita quam maxima Regi hoc incumbabat, Deut. 17: v. 18, 19. Joſue 1: v. 8. 1. Sam 12: v. 14, 15. 1. Reg. 2: v. 3. Pſal. 119: v. 97, 98. (β) *Actiones Optimi Regis conſignat, & ſummatim in Textu noſtro (1) Cultus Divini inſtaurationem ac conſervationem per totum Regnum: ſic enim v. 20. Fecit autem juxta hoc Ezekias per univerſum Judam. Fecit enim bonum &c. Attendantur antecedentia in hoc capite: utpote extirpatio cultus idololatriæ in regno Judæ & in terris vicinis, v. 1. nec non conſtitutio Sacerdotum & Levitarum in ſuis claſſes v. 2. in illorum ſuſtentationem acervatim à Rege & populo Hieroſolymitano conferuntur portiones v. 3-7. Cumq; Rex DEI benedictionem & populi promittitudinem in his, cum gratiarum actione videret, deſtinavit conclavia portionibus afferendis, ſub bona Præfectorum fide, v. 8-11. per Regis curam ex tam abundanti copia juſta facta eſt diſtributio, tam in uſum Levitarum quam Sacerdotum, parvorum pariter ac majorum, juxta catalogos ipſorum v. 12-19 huic narrationi immediate ſubjungitur in Textu v. 20. Sic fecit Ezekias per univerſum Judam: Senſus eſt; tam provida erat Regis cura de miniſtris ſacris in toto regno, ac fuit in urbe Hieroſolymitana v. 4. 11. Nam ut DEO conſecrata ſub impio Rege Achabo partim auferentur, partim pervertebantur, 2. Chron. 28: v. 2-25. ita nec ea quæ ad ſuſtentationem Sacerdotum & Levitarum neceſſaria erant, rite conferebantur: inde cultus divinus collapsus eſt. Quemadmodum de ſuo tempore refert Nehemias cap. 13: v. 10. Cumque cognoſcerem, quod portiones Levitarum non date eſſent, ideoque difſuſſent vir ad agrum ſuum, Levita & Cantores facientes opus; Scilicet coacti erant ſacrum deſerere munus & ruſticos labores ſubire, Evidentiſſimè demonſtrat Ezekias 2 Chron. 29: v. 5-9. quomodo ex neglectu cultus Divini omnis generis calamitates in regnum Judæ inundaverint, Huc etiam referendum, quod porro de Ezekia dicitur**

832
tur v. 20. *Et fecit bonum coram Jehova DEO suo.* Quando bonum cum recto conjungitur, inter utrumq; nonnulli hoc discriminis constitunt, quod bonum conveniat voluntati, rectum iudicio; bonitas faciat amabilem, rectitudo laudabilem. Verum dum quod sequitur: *Coram Domino DEO suo*, ad hæc duo etiam refertur, commode h. l. ita discriminantur, quod *facere bonum* sit secundum DEI voluntatem in DEI cultu, amore ac timore vivere: *rectum* autem *facere* sit iuste se gerere in actibus suis cum aliis. De ASSA juxta Hebr. 2. Chron 14: v. 2. *Fecit a. ASSA bonum & rectum in oculis Jehova DEI sui.* Est præceptum DEI, Deut. 6: v. 18. *ut facias rectum & bonum in oculis Jehova:* Utrumq; sub uno ipse Ezekias complectitur, 2. Reg. 10: v. 3. *Memento o Jehova quod bonum in oculis tuis fecerim.* Exponitur id ipsum h. m. in textu, v. 21. *& in omni opere quod cepit in servitio domus DEI, & in lege, & in præcepto, ad querendum DEum suum.* Ubi per opus in ministerio domus DEI, tam ea quæ cap. hoc 31. recensentur, intelligenda veniunt, quam quæ prius sunt descripta, videlicet monita ejus ad Sacerdotes & Levitas, C. 29: v. 4, 10, 11. mandatum de mundando & sanctificando templo, ibid. v. 15, 17. & de sacrificiis, ib. v. 27, 31. Ordinatio Levitarum in laudem DEI per instrumenta Musices ib. v. 25, 30. Ad opus in præcepto ad querendum DEum suum, referuntur actus Ezekie in DEI cultu ab ipso præstiti, utpote munera in holocaustum & alia sacrificia, C. 29: v. 20, 21. & 30: v. 24. devota coram DEo adoratio, C. 29: v. 29. solenne Paschatos institutum C. 30: v. 1. seqq. NB. v. 21, 22. exhortatio pia & seria ad veram poenitentiam, ibid. v. 6, 7, 8, 9. sermo consolatorius ad populum, ibid. v. 18, 19. 2. Chron. 32: v. 7, 8, 20. Specialiter vero *quesivisse DEum* dicendus Ezekias, cum in angustiis suis ad DEum vera poenitentia 2. Reg. 19: v. 1, 4, 5. Esaj. 38: v. 10-20. & devotis precibus confugerit; tam contra minas Sennacheribi, 2. Reg. 19: v. 15, 16, 19. 2. Chron. 32: v. 20. quam in periculo mortis, 2. Reg. 20: v. 3. Quod non spreverit Divinæ gratiæ signum; 2. Reg. 20: v. 8-11. ut Ahas, Esaj 7: v. 12. & quod patienter se submiterit divinæ voluntati, 2. Reg. 20: v. 19, 21. Chron. 32: v. 26. Hæc enim sub phrasi *Facere bonum* comprehendere licet. (2) *Justitia & rectitudinis studium.* Sic in Textu: *Et rectum fecit coram Jehova DEO suo.* Posset quidem & hoc de actionibus Ezekie circa sacra intelligi, Deut. 12: v. 25. ac sic etiam de illo dicitur, 2. Chron. 29: v. 2. *Fecitque rectum in oculis Domini, juxta omnia que*

que fecerit David pater ejus. Sed quia hæc distinctæ ponuntur, bonum, rectum, verum; convenienter a plerisque refertur ad justitiam exercitum, ab Ezekia æquissimo & justissimo Rege servatum: Ita etiam rectum exponendum de sinceritate in proximum, 2. Reg. 10: v. 15. conf. Psal. 37: v. 37. quorum etiam spectat v. 21. in omni opere in lege: אֱמֶת hoc enim vocabulum de lege morali sive de doctrinâ justitiam monstrante, communiter accipitur, Mal. 4: v. 4. NB, 2. Chron. 14: v. 4. Illam vero fideliter observavit in Virtutibus Imperatoris, juxta illam curam quam de rebus sacris fovit Ezekias, ac in illis quod rectum erant, egit. Spectanda in illo (α) Clementia insignis; hinc Levitas, inter quos aliqui segnes erant, benigne allocutus est, 2. Chron. 29: v. 11. & 30: v. 22. pariter ad militiæ præfectos, 2. Chron. 32: v. 6. ita etiam in peregrinos erat benignus, 2. Reg. 10: v. 13. Elaj 39: v. 2. (β) Misericordia in egenos; quæ laudatur, 2. Chron. 32: v. 31. (γ) Amor pacis: proinde muneribus & lenissimis verbis hostem flectere voluit, & seipsum quasi accusavit, 2. Reg. 18: v. 14. nec ullo verbo illum irritare voluit, ibid. v. 36. (δ) Amor veritatis: hinc quod a se minus recte commissum erat, dissimulare noluit, 2. Reg. 20: v. 14, 15. conf. Prov. 17: v. 7. (ε) Zelus pro dignitate & libertate regni sui. Achaus Rex in opprobrium populi Dei submisit se regi peregrino & gentili, 2. Reg. 16: v. 7. quod renuebat Ezekias, 2. Reg. 18: v. 7. Divina circa eventum id approbante gratia, 2. Reg. 19: v. 35, 37. (ς) Prudentia in regni sui defensione, 2. Chron. 32: v. 3, 4, 5. (ζ) Fortitudo & animus heroicus ad pugnandum: Ipse in bellum exivit, percussit Philistæos & occupavit eorum munimenta, 2. Reg. 18: v. 7, 8. 2. Chron. 32: v. 6, 7. (η) Cura circa publica ædificia in decus & usum Regni, 2. Reg. 20: v. 20. 2. Chron. 32: v. 3, 4, 29, 30. Hinc insignis potentia, magnæ opes, & apud vicinos celebre Ezekia nomen, 2. Chron. 31: v. 23, 27, 28. Sequitur in textu (3) Fidei salvifica exercitium. Ita enim intelligendum v. 20. Et fecit veritatem coram JEHOVA, DEO suo: verum, vel ut in Hebr. est, אֱמֶת Veritas, spectatur plerumque in sermone, Psal. 15: v. 2. qui loquitur veritatem in corde suo: sed & cum magna emphasi ad actiones refertur, ut h. l. facere veritatem, hoc est, ea facere quæ cum veritate prima conveniunt: Cognata vox est, אֱמֶת fides. Hab. 2: v. 4. Justus in fide sua vivet, quod de salvifica in Christum fide omnino est intelligendum, Rom. 1: v. 17. Gal. 3: v. 12, quæ fides nititur veritate, & ne sit merè speculativa, re-

quicquid *Id facere veritatem*; Notanda veniunt loca Ezek. 18: v. 9. *Judicia mea custodiet ad faciendum veritatem*: Joh. 3: v. 21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem*. 1. Joh. 1: v. 6. *Si dixerimus, quod communionem habeamus cum DEO, sed in tenebris ambulaverimus, mentimur & non facimus veritatem*. Sicut rectitudo integritatis primævæ dicitur veritas, Joh. 8: v. 44. *in veritate non stetit*; Ita etiam rectitudo restitutionis dicitur veritas, Joh. 1: v. 17. *Gratia & veritas per Jesum Christum*. Eph. 4: v. 21. *Sicut est veritas in Jesu*. Et renovari jubemur *in sanctitate & justitia veritatis*, Ephes. 4: v. 24. Verbum Evangelii per quod gratia restitutionis datur, est *verbum veritatis*, Eph. 1: v. 13. Jac. 1: v. 18. Et genuini Christiani dicuntur *esse ex veritate*, Joh. 18: v. 37. 1. Joh. 3: v. 19. *Opponuntur illis, qui non norunt veritatem*, 1. Joh. 2: v. 21. & iis, *in quibus non est veritas*. Quemadmodum Salvator de salutis via agens, Joh. 3: v. 16. seqq. ex eo cognosci vult veros fideles, quod *faciant veritatem*, v. 21. quod habent *fidem per Charitatem operantem*, Gal. 5: v. 6. ita etiam Rex Ezekias *per gratiam Jesu Christi salvatus*, Act. 15: v. 11. ex informatione Moïsi, Joh. 5: v. 46. Act. 3: v. 22. & Prophetarum, Act. 10: v. 43. Joh. 5: v. 39. *fecit, dum vixit, veritatem*; conf. Matth. 3: v. 8. Postquam Ezekiel de piis dixerat, quod *faciant veritatem*, c. 28: v. 9. poenitentia: studium quam maxime urget, ibid. v. 21, 23, 27, 30, 31, 32. Ac Ezekias respiciens *veritatis desiderium significavit*, 2. Reg. 20: v. 19. ac immediate post textum nostrum *veritas* Ezekia: commemoratur, 2. Chron. 32: v. 1. scilicet *eam faciens*, operibus & fructibus Spiritus fidelem se exhibuit, Gal. 5: v. 22. Jac. 2: v. 18. seqq. *Secundum veritatem* v. fidei internam Deo probatus, Psal. 51: v. 8. idque innuit textus: *Coram Domino DEO suo*. conf. 1. Joh. 3: v. 19, 20.

Ista de Rege Ezekia: consignando, *memoriam* ejus reddere voluit Spiritus Sanctus *gloriosam*: neque dubitare licet, quin inter honores, quos cum in *adscensu sepulcrorum*, vel in *supremo sepulcro filiorum Davidis*, sepultus fuerit, illi exhibuerunt *in morte ejus universus Juda & habitatores Hierosolymæ*, 2. Chron. 32: v. 33. etiam gesta ejus prolixius commemoraverint, & illa threnodiis, sermonibus & carminibus lugubribus celebraverint, quorum summam in textu habemus. Similia quippe legitimus 2. Sam. 1: v. 17-27, & 3: v. 33. 2a Chron. 35: v. 25. Jer. 31: v. 15. Thren. 4: v. 20, 5: v. 16.

1. Maccab. 9: v. 21. &c. Si & nos inter DEUM timentes numerari uti-
quam velimus, honorata sit in terris nostris *Inchyti Regis* memoria, 855.
Syr. 10: v. 24. Quid ergo magis conveniat devotæ venerationi, quam
aniversus populus totius Regni & habitatores metropolcos debent me-
moriam CAROLI XI. quam gloriosissimam eam reddere, celebra-
ndo μεγαλειά a DEO per *Majestatem Tanti Regis* peracta. Et jam
die *Maximi Regis* sepultura solenni, conari ut inter nos ac apud po-
steros perpetuo sit illa gloriosa: Idq; ad ductum textus & historie
sacræ, comparatione *Optimi Regis* cum celebratissimo Rege Ezekia:
Conferri in multis possunt; Nominum significatus non absimilis;
Uterq; à *Fortitudine virili*, quamque in DEO exercuere, appellatus,
Psal. 28: v. 8. Cum annum ageret Ezekias decimum quartum, magno
exercitu hostili eum aggressus est Sennacheribus Rex Assyriæ, 2. Reg.
18: v. 13. & plures urbes ac munimenta regni ejus occupavit. 2.
Reg. 18: v. 13. & 19: v. 25, 26. REX *Exoptatissimus* CARO-
LUS XI. cum ad XIV. annos hereditarium Regnum in pace te-
nuisset, gravissimo bello Anno 1674 implicitus est, & non pauca ur-
bes munitæ creptæ, quas deinde REX CAROLUS XI. *vi-*
ctoriosus, iterum regno, *DEO auxiliante*, restituit. Hostes Ezekia
confisi copiis suis, exiguas ejus contemserunt, 2. Reg. 18. v. 23. etiam
propter pietatem & in DEUM collocatam fiduciam derisus fuit. 2.
Reg. 18: v. 32. Talia quoque REGI *Religiosissimo* CAROLO XI.
evenere. Etiam, quam post bella & morbum Ezekia concessit DEUS,
felicem annorum periodum, 2. Reg. 20: v. 6. CAROLO XI. *Tri-*
umphatori non minorem reddidit. Sed cum in hac prima parte, O-
ptimos in populo Dei Reges, Ezekiam sub veteri, & CARO-
LUM XI. sub novo foedere, mutuo conferimus, omnino quod
prius de Ezekia probavimus, de CAROLO XI. asseramus: *facta*
Majestatis ejus secundum Verbum Dei fuisse institum, Illud à prima ata-
te dilexit, & in illo sedulo informatus est; illud per totum imperium
suum, purum ac intemeratum prædicari voluit, in cultu publico omnia
secundum illud ordinavit. Edicta penitentialia divino zelo quotan-
nis emittendo, Ezekia se reddidit similitum, 2. Chron. 30: v. 5-10.
Serio de cætero urfit, ut ad normam sanctam viverent omnes regni cives,
cujus maximum ipsa *Majestas Regia* præstitit exemplum, In judiciis

686 & sententiis criminalibus ferendis non neglectum dictamen legis, quod ex immutabili Dei iustitia instruit. Idololatria crassior jam diu per Evangelii lucem, Deo gratiose illuminante, pulsa fuit, sed nequam Papismus secum habet, iterum rediret, prudentia & zelo sollicitate actum fuit per omnes regni CAROLI XI. annos felicissimos. Quid a. interea tentavit astutia Romanensium, non omnibus est ignotum, 2. Cor. 2: v. 11. Non nihil itidem constat ex Regiis de Religione statutis, Anno 1667 & 1671. Singularis quoque fuit cura *sanctissima fidei Regis*, ut a cæcitate idololatrica retraherentur Lappones, & si quæ esset hujusmodi labes in aliis latissimi regni finibus, tolleretur. Multa hic dici possunt de pio S. & R. M. t. desiderio, retrahendi à stupiditate idolomanie proxima, tot Ingræ incolas, ad Dei cultum, in ea quam intelligebant lingua, peragendum. Contra malum aliud jam dicto tam vicinum, ut est in lege Dei alterum præceptum primo, horrendam intelligo jurandi, execrandi & pejerandi consuetudinem, tam severa, prolixa & iterata edidit *Rex DEI amantissimus* edicta, ut similia in alio regno Christiano monstrari nequeant: Verum haud aliter ac post Ezekiam multa remansere vere religioni adversa, 2. Chron. 33: v. 3, 4. quæ demum regnum Judæorum evertabant, 2. Reg. 23: v. 27. ita timendum quod detestanda & immanis jurandi & diabolum inclamandi libido, etiam si alia abessent peccata, patriam nostram demum pessundet. Velit DEUS sanctissimi sui Nominis gloriam reddere nobis charam! *Obmutescant labia impietatis*, Psal. 31: v. 19. Jam ex iusta DEI vindicta, per hoc octimestre in pulverem tot millium ora per atrocissimam famem dejecta, quæ ad iram provocarunt *sanctum Israël*, Esaj. 1: v. 4. super sunt multi, ob quos *huc amamus, qui non egerunt penitentiam*, 2. Cor. 12: v. 21. quorum optemus resipiscentiam, ut DEUS nostrum misereatur, Esaj. 30: v. 18. Quam ex hoc cap. 31. 2. Chron. recitavimus Ezekie sollicitudinem de Levitarum & Sacerdotum sustentatione, agnoscimus devota & grata recordatione *Regiam* fuisse CAROLI XI. *curam benignissimam*; qua, mox post Coronationem augustam, privilegia ordinis Ecclesiastici, & quæ in illis ad ejus conservationem spectant, regia manu confirmavit. Ac sæpius à *Clementissimo Regio ore* percepimus, non voluisse *Sacram Ejus Majestatem* ea diminueri, quæ à prioribus Regibus Clero erant colata

& ad-

& adscripta; Quæ in EZEKIA
ejus ad Levitas & circa cultum, illa Rex CAROLUS
dinantia Ecclesiastica, & agendorum sacrorum constitutione abunde
explevit, ac pluribus ad Episcopos & Consistoria rescriptis Clementis-
simis urfit, in maximum Ecclesie usum. Quantis quoq; sumtibus eun-
dem benignissime juvit, in *Parasc. & Disposit. ad Thren.* 5. quibusdam
exemplis monstratum est; sed longe plura dari possunt, & in *gloriosissima*
memoria CAROLI XI. perpetuam frequentissime com-
memoranda. Constantissima in DEUM *fiducia* superavit omnes Reges
Judæ Ezekias, 2. Reg. 18: v. 5. qua, pariter & sancta in voluntate DEI
acquiescentia, 2. Reg. 20: v. 19. CAROLUM XI. fuisse per
omnia retro secula *Incomparabilem*, ejus in periculis animus intrepidus,
& verba cordata probarunt, quibus & alios animosos reddidit,
2. Chron. 32: v. 7. Suntq; maximæ virtutis indicia, Textus in *solennitates*
penitentiales annuas, etiam in mediis bellorum flammis, a *Potentissimo*
Rege ordinati. Jos. 23: v. 8-II. 2. Paral. 32: v. 7, 8. Psal. 3: v. 6,
7, 8. & 9: v. 8-16. & 70: tot. & 54: v. 6-9. & 140: v. 5-11. Zach. 1: v.
16, 17. *Justitia & Virtutum Imperatoriarum* splendorem in Eze-
kia contemplati sumus, sed has numero plures & luce splendidiore
radiantes devote veneramur in *Augustissima septentrionis Corona*,
quam die 5. Aprilis capiti nostro ereptam, die 20. Aug. publica la-
mentatione deploravimus: Et quoad cujuscumque Regis duratura est
memoria; gloriosissima erit Clementia CAROLI XI. in omnes, &
Misericordie in tot miseros, quos in vita servavit, *recordatio. Veritatem*
& pacem supra omnia dilexit, Zach. 8: v. 19. NB. Prov. 20: v.
28. Regnum suum tempore pacis, *sapientia & justitia summa* guber-
navit; & ingruente bello, *pari fortitudine ac prudentia* propugna-
vit, ac ut ne ullam ejus partem post funestum bellum, sub potestate
hostium relinquere voluit, ita illud totum postea in illam dignitatis
& roboris ἀκμήν, DEO benedicente, evexit, quam nunquam prius
obtenuit; inq; statu quieto multis modis ornavit & locupletavit, &
longe pluribus quam Ezekias, Syr. 48: v. 19. unde per totum orbem fa-
ctum est nomen CAROLI XI, magnum. Gen. 49: v. 26. 2. Chron.
32: v. 23. Reddentque hæc & innumera alia in seculum *memoriam Ma-
jestatis Ejus gloriosissimam*, & thronum ejus firmum, Prov. 29: v. 14.

888. *quodque saluberrimum infucatum exercitium;* & *serenitas Regem Maximum* in terris latum, Esaj. 38: v. 3. & in caelis aeterna felicitate coruscantem ac gloriosum reddidere. Valde enim facit in memoriae Regis *Optimi* Magnitudinem & dulcedinem, quod in ipsa aeternitate in conspectu Regis Regum, splendorem in terris obtentum, aeterna & lumini solis aemula luce auctum, est consecutus, Matth. 13: v. 43. Apoc. 21: v. 23, 24. Et 22: v. 5. *Erat a. faciendo veritatem.* Pietatis & omnium Christianarum virtutum studium in *Maximo Rege* tam fervidum tamq; assiduum. *DEUM querendo*, 1. Chron. 17: v. 10, 11. ut non minus in *Justitia & sanctitate veritatis*, Eph. 4: v. 24. exemplum evidentissimum Ecclesiae praeberit, mature ut *Ez-kias* se ad Dei cultum accingendo. 2. Chron. 29: v. 20. quam *perfectissimi Regis* augustum exemplar ad finem mundi celebretur.

USUS: Ista vero & longe plura, quae *Gloriosum CAROLI XI.* Nomen cordibus venerabundis imprimunt, hunc diem praesalibus in hoc seculo notabilem reddunt. XXIV. Novembris ante XLII. annos *CAROLO XI.* felicissime natalis, jam nunc in omnium nostrum mœrorem *Majestati Ejus* est exaequalis: *Regi* magnitudine rerum gestarum & cuncterum Regiarum virtutum excellentia consummatissimo, laboribus ac curis non interruptis absolutissimo, *Bonus fuit dies mortis praeter illo quo natus fuit*, Eccles. 7: v. 2. Nobis & toti orbi Christiano, per totum vitae suae gloriosae tempus, tantus fuit *Rex desideratissimus*, quantus olim suis fuit *David*, 2. Sam. 18: v. 3. ideoq; natalis *Majestatis Ejus* Anno 1655. qui tot annorum felicitati dedit auspiciam, iravissima recordatione nobis erat dies voluptatis & gaudii, Esth. 9: v. 18, 19. sicut & idem nunc exaequalis, quo tanta bona amisimus, merito quotannis nobis erit dies poenitentialis, 1. Sam. 7: v. 6. Zach. 12: v. 11. seqq. Et quo magis *Clementissimi Regis CAROLI XI.* deprædicamus virtutes & gesta, conferendo *Majestatem Ejus* cum optimis quibusvis in DEi populo. NB. 2. Reg. 23: v. 25. eo vehementius iudicia Divina timeamus, 2. Reg. 22: v. 16-20. & 23: v. 26, 27. ac excitemur post obitum ejus ad veræ & non procrastinandæ poenitentiae studium. Esaj. 1: v. 2. seqq. & v. 16. seqq. Jac. 3: v. 12. seqq. Ecce! gravis erat nobis poenitentiae concio in morte *Clementissima Regina* Beatissima inter sanctos *ULRICÆ ELEONORÆ*, (vid. *Disposit. Homilet. hic Abœæ* edi-

editam ad; Phil. 1.) ab eo tempore calamitas non unâ patriam afflixit; & ultra tres annos exspectabat Dominus nostram respicientiam, ideo sancto horrore ex hoc funestissimo casu, qui anno quarto accidit, percussî, Luc. 13: v. 7, 8, 9. de vera poenitentia eo magis sumus solliciti, Luc. 13: v. 3. 5.

II. *Laudabilia quæq; ex toto corde perficiendo*: emphaticè enim additur post recitata opera Ezekia, v. 21. *Et in omni opere quod incepit-querendo DEum suum, in toto corde suo fecit*: est usitatissima in Scripturis Sacris phrasis *ex toto corde*, ad designandum animum & affectum sincerum sine hypocrisi, fervidum sine torpore, constantem sine hæsitatione, integrum sine divisione, Deut. 4: v. 29. & 6: v. 5. & 30: v. 6. maxime vero in DEI cultu hoc requiritur, Deut. 10: v. 12. Jos. 22: v. 5. Psal. 119: v. 2. idque singulari cum DEI complacencia fieri, à DEI spiritu commemoratur, 2. Chron. 15: v. 12, 15. & 22: v. 9. Notatu dignissimum hic est monitum Davidis, 1. Chron. 29: (al. 28.) v. 9. & confessio ejus, Psal. 119: v. 10. De Regibus vero populum DEI in Vet. Testamento regentibus peculiariter hoc observatur in optimis, 1. Reg. 11: v. 4. & 14: v. 8. 2. Chron. 22: v. 9. de aliis vero aliter: sic de Amazia; *Et fecit quidem rectum in oculis Jehove; non tamen corde integro*, 2. Chron. 25: v. 2. quod plenius declaratur, 2. Reg. 14: v. 3. ab initio quidem imperii veræ religioni favit, illamq; promovit, postea vero idololatriæ se addixit, 2. Chron. 25: v. 14. ac postquam DEI ministros ac Prophetas contemnere cepit, ibid. v. 16. ruebat in exitium, ibid. v. 17. De Jehu simile est judicium Divinum: 2. Reg. 10: v. 31. *Nilominus Jehu non observavit, ut iret in lege Jehova, DEI Israël, in toto corde suo: non recessit à peccatis Jerobeami, qui peccare fecit Israël.* Ex quorum impio & infelici imperio, contrario vitæ & regno Ezekia, constat, quam gloriosa sit Ezekia memoria ex hoc actionum ejus caractere & interno quasi principio. Scilicet *in omni opere, sive quoad ministerium domus DEI, sive in lege & in præcepto, omnia egit, quarendo Dominum DEum suum, toto corde.*

Hæc Laus CAROLO XI. *Monarchæ Serenissimo*, omnino quoque est tribuenda: Quædam gloriose à Regia ejus Majestate gesta jam indicavimus, multo plura omnium civium devotis inscripta sunt mentibus; quicquid a. in DEI laudem, in regni gloriam, in civium salutem suscepit, *ex toto corde* egit. In religionis negotio hæud pauci Imperantium, antiquorum pariter & recentiorum temporum

porum, *ex ratione status* consilia sua instituerunt; sæpe ad apparatus in cultu devoti, ut de aliis gravioribus circa DEUM & religionem opinionibus nihil dicamus. Verum CAROLO XI. cor vere Davidicum erat, Hinc ex Psal. 119: v. 7. ad cordis sui reſtitutionem provocare potuit, etiam in orationibus suis; ibid. v. 58. qui Textus fuit pœnitentialis Anno 1687, NB. Psal. 66: v. 18, 19, 20. itidem pœnitentialis, Anno 1680. die 3.

USUS: Damnavit sic Rex Maximus hypocrifeos vitium, & quia cuncta *comm* DEO fiunt, ut est in textu v. 20. ideo in toto corde à nobis sunt perficienda, 1. Sam. 16: v. 7. 1. Chron. 30: v. 17. Jer. 11: v. 20. & 17: v. 10. Apoc. 2: v. 23. de simulationis vitio fugiendo conf. Fascicul. Disposit. pag. 101. & 210. &c.

III. *Suscessus prosperos obtinendo*: hæc enim jucunda est clausula Textus: & prosperatus est. Eleganter in Versione nostra: *chersere gick han thet ock vel igenom*: Erant quippe Ezekie magnæ difficultates superandæ; in sincera tamen pietate successus habuit optatos, 2. Reg. 18: v. 7. 2. Chron. 26: v. 5. Prov. 3: v. 5, 6. NB. 2. Chron. 20: v. 20. quæ prosperitas non parum auxit ejus gloriam, 2. Chron. 32: v. 21, 22, 23, &c. Idem verbum de felicitate Salomonis, 1. Chron. 30: (al. 29.) v. 23. conf. Psal. 45: v. 5.

Beatissimo Regi CAROLO XI. dedit DEUS successus maximos, in cujus laudem prolixè commemorandum, quod *Potentissimus Rex CAROLUS XI.* plures imperii annos habuerit, quam alius Rex Sveciæ per sesquiseculum: ac illos plurimos felices & tranquillos, paucos bello, vel annonæ defectu, vel aliis casibus, tristes. In his Victoriosus fuit contra hostes, & Clementissimus in subditos; in illis, Ecclesiæ & regno statutis, legibus & consiliis æquissimis ac saluberrimis prospexit: Vires & robur imperii terræ marique auxit & firmavit. (*Hæc & alia Maximi Regis gesta sigillatim devotæ recordatione enumeranda.*) Manet proinde apud nos & posteros *memoria Incomparabilis Regis CAROLI XI. gloriosissima.*

USUS: Nunquam obliviscamur beneficiorum à DEO per *Tantum Regem* concessorum; & ad ejus exemplum maximum, pietate infucata rerum nostrarum successum à DEO impetremus, indefinenter orantes, sit *CAROLUS XII. benedictus, & thronus ejus firmus coram*

DOMINO in secula! 1. Reg 2: v. 45.

S. D. G.